



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XIV. Mors S. Kvnegvndis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

C A P V T X I I I .

Miraculum in chirotheca S. Kune-
gundis.

Kortè & istud detractoribus fabulosum, & infidelibus incredibile putabitur : quod sanctitatem illius, quam, humilitatis gratia, ipsa latere voluit, muta elementa loquuntur. Denique cum post lectionem Euangelij suo solenni more * sacrificatura accederet ad altare, dexteræ manus suæ chirothecam detrahens, cum nullus, quò reciperet, adesset, à se reiecit ; quam radius solis per fenestra rimulas intrans suscepit, & tamdiu quasi famulando sustinuit, donec illa post * sacrificium rediens, * oblationem factura. eam reciperet. Tale etiam quid in beati viri veste GOARIS aliquando diuina virtute ostensum fuisse legitur : qui dum à sede Rustici Treuirensis Pontificis despicitur, à summa maiestate, per maioris luminaris honoratur famulatum. Omnia itaque capax erat meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum.

C A P V T X I V .

Mors S. Kunegundis.

KVINDECIM in sancto proposito superuixit annos, tam humilitatis gratia, quam religionis reuerentia omnibus admiranda. Tandem, pro nimia ciborum abstinentia, orationis & vigiliarum increibili perseverantia, cœpit corpore langescere ; & ingrauescente morbo, paulatim deficere. Sed dum membra dolore contraherentur exterius, spiritu tamen (nam laus Dei semper in ore eius fuit) confortabatur interius. Vocabat sanctos angelos, quorum hic vitâ, illuc iam consortio fruatur : Apostolos & Confessores, quorum fidem & confessionem semper tenuit, interpellabat : Virginum Christi in suo exitu inuitabat

chorum ; quarum emulatione in carne dum præter carnem viueret, immaculatum Christo conseruauerat torum : omnium Deo famulantium sibi adesse, sibi occurrere orabat auxilium.

Rom 8.

Verè quod est scriptum ; timentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in obitu tantæ Virginis vidimus comprobatum. Necdum spiritum exhalauerat, necdum Christo debitam reddiderat animam ; Et iam fama volans tanti prænuncia luctus, non tantum sacratas Virgines, aut diuersi Ordinis viros, verùm etiam totius urbis populos ad exequias vnius congregabat. Sonabant Psalmi, & totam domum, ubi sanctum corpusculum in medio super illo suo nobili cilicio compositum iacebat. In sublimè resonans letania pro exeunte anima quatiebatur. Interim, ex more, regales, tanquam Imperatrici, non ut pauperculæ debentur sorori, parantur exequiaz, aurea feretro obtendenda proferuntur velamina. Tum illa pallentes vultus, quos antè, ut, sponso venienti, lætos videres, ad hos retorquere, manus abnuere : Amictus iste, ait, non est meus : auferte hinc : ornatus hic alienus est. His, terreno sposo ; isti, cælesti copulata sum ; nuda de vetero matris meæ egressa, nuda regrediar illuc : his vitem misera carnis materiam inuoluere ; Et corpusculum meum iuxta tumulum fratri mei, ad Domini HEINRICI Imperatoris, quem me iam vocantem video, in proprio * loculo reponite.

Apog. Bamber.
* leculo.

Moritur S. K. negundis.

His dicitis, in manus Domini spiritum suum commendans, ad suum anima reuolauit auctorem, & in antiquam possessionem diu peregrinata concendit : terris, matrem communem se amississe, flentibus, cælis autem consuem in suum consortium se suscepisse gaudentibus.



CAPUT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN